

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Conradi Samvelis Schvrfleischii Opera historica politica**

**Schurzfleisch, Konrad Samuel**

**Berolini, 1599 [i.e. 1699]**

XXVII. De Lustatia

**urn:nbn:de:bsz:31-102564**

vergit, Norththuringia dici solita, tractum Magdeburgicum, et Comitatum Rein-  
steinensem, una cum oppidâ Magdeburgo, Helmstadio continebat. Vnde expli-  
candus est Henr. Meibomius, Helmstadium Saxoniae Civeseranae adscribens,  
in opusc. de Ducibus Saxoniae ante Hermannum Billingum. Nam huius di-  
zoni postea accessit et iuncta est, quam Saxones trans Vstrutianam, finitimamque  
Thuringiae partem sibi subiecerunt, Saxoniaeque fines nova hac accessione auxerunt.  
Quae causa est, quamobrem Mulbasa et Northusa, insignes Norththuringiae  
urbes, Saxoniae veteri annumerentur, et ad huius comitia, sive Conventus  
Circulares evocentur. V. Herm. Conringius in libro de antiq. situ Helmstadii  
et vicinia p. 79.

§. IV. De religione Thuringorum Hessorumque laboravit et optime  
meritus est Bonifacius, praeful animi sanctitate praestantissimus, cum po-  
testate docendi a Gregorio II. Pont. in Thuringiam dimissus, cui necessitu-  
do familiaritasque intercessit cum Vnebaldo, qui similiter auctoritate Boni-  
facii, Thuringiam diviniore literis erudit, et pari fide ac diligentia est  
munere illo tam arduo et difficili perfunctus. Omnia haec certis atque illu-  
stris testimoniis nituntur, sigillatim epistolis Bonifacii, S. Vilibaldo de S. Bo-  
nifacio cap. VI. VIII. Othlono in vita eiusdem, c. XIII. et XXIX. Scriptore  
vitae S. Valpurgae cap. I. Quo factum est, ut Thuringia, perinde ac Hassia re-  
ferri coeperit, ad metropolim Moguntinam, salvo iure principatus, et imperii civilis,  
aliunde competentis, quod alias persequemur.

## XXVII. DE LUSATIA.

Lusatia a nemine haecenus, praeterquam a Christophoro Manlio Gorlicen-  
si, (a) integra descripta est: quod opus cur haecenus suppressum, ac  
ne doctissimis quidem visum fuerit, ego equidem non miror, qui eius pa-  
riter atque Abrahami Hoffmanni fortunam satis cognitam habeam, quae non  
permisit, ut quod hi viri pro veritate causae, ac dignitate patriae susceperant,  
ex animi sententia perficere possent.

(a) Magnopere laudatur a Martino Mylio in annalibus Gorlicensibus an. 1575.  
Fuit enim summo ingenio, et iudicio subactis ac maturo, poeta elegans historicus  
insignis et diligens Lusatiae scriptor. Eius epigrammatum liber Pragae, Bohe-  
miae metropoli, est editus. Poematum volumen nondum est praeulo expressum. Co-  
mentarios rerum Lusatiarum septem libris distinctos composuit, quos interest ex-  
poliri cum cura et perfici plane atque absoluti. Ipse sibi mortuus talis fecit epi-  
gramma, quod in annalibus Gorlicensibus a viro clarissimo Christiano Kuncio mihi

per liberaliter communicatis continetur. Quae tumulum servat? pietas. Quis conditur illo?

Scrutator patriae Manlius historiae.

Alius est Iohannes Manlius, locorum communium collectione notus passim atque celebratus. Christophorus ne nomine quidem Martino Zillero, et aliis, qui indices historicorum confecerunt, cognitus fuit.

§. II. Inter eos, qui partem Lusatae attingunt, facile primas tenet Caspar Peucerus, vir, cum viveret, eruditione nemini secundus, et in historia Lusatica Christophori Manlii doctor, qui quantum in illa operam collocaverit, docet eius Idyllium, quo docta totius Lusatae superioris descriptio continetur. Id vero anno M DXC III. auctoritate Senatus Budissinensis editum fuit, ac meretur, ut diligentissime ab omnibus legatur.

§. III. Nec tamen me fugit, plures fuisse, qui huc incumbere, quamquam aut cedunt Peucero, aut ei atque Manlio aliquid debent. Nisi quod Melchior Goldastus cum regni Bohemiae diplomata manu sua versaret, Lusatica pari diligentia tractavit, quorum exempla in codicibus exarata nuper videre mihi contigit, et plura, quam quae evulgavit Goldastus, beneficio insigni virorum iurisconsultissimorum Leuberi et Hartranstii.

§. IV. Tum vero huc studii aliquid contulerunt Ioachimus Meisterus, praeceptor Christophori Manlii, qui metro concinnavit urbis Gorlicensis descriptionem, a doctissimo Funcio mihi transmissam, Ioachimus Cnemander, et qui ex eo multa hausit Martinus Mylius, collector annalium Gorlicensium nondum editorum, Thomas Faber, cuius exstant annales Budissinenses, Bartholomaeus Scultetus, Laurentius Ludovicus, Iohannes Coqvus. Similiter Bohemiae Poloniae, Silaesiaeqve scriptores persaeperes Lusaticas monumentis suis commendarunt.

(b) Aeneas Sylvius, Martinus Cromerus, Ioachimus Curaeus: saepe etiam ex scriptoribus nostratibus Siffridus Presbyter Misnensis, Monachus Pirnensis, ex Boicis Iohannes Aventinus.

§. V. Inter Bohemos Iohannes Dubravius, Episcopus Olomuzensis, elegantissimus gentis suae, et antiquitatis scientissimus scriptor tradit, (c) antiquitus Serbios, quibus denotat Sorabos, esse nominatos, quorum pars fuere Milciani, notatione situs a caeteris distincti, et pago Niseni et Budefin, unde postea Marchia Budissinensis dicta est, comprehensi. Propterea non potuit esse immemor diplomatum, ab imperatoribus Saxonibus et Silesiatis, in quibus signantur Milciani, haud sane alii, quam qui hodie Lusaticam superiorem colunt. Eos in ditionem atque potestatem suam redegit Henricus Auceps, primus ex Saxonibus rex Germanorum, qui populatio-

nes Slavorum prohibitorum, Misniae Marchiam instituit, ex eaque imperum Polonorum Lusatorumque inhibuit, et tandem virtute auctoritateque sua pervicit ut legibus Germaniae parerent. Graviter Detmarus Merseburgensis scribit. *Ex ea (urbe et marchia Misnensi) Milzenos suae subactioni, censum persolvere, coegit.* (d)

(c) lib. 2. *hifl. Boiem. p. 14.* Nomen Soraborum commune habuerunt superioris et inferioris regionis (Lusatiae) populi, quod fere in desuetudinem abiit aetate Henrici Aucupis, quo Lusatia regni Germanici Marchia provinciaeque facta est. Ernestus Brotuff. perperam censet a Lothario II. eam Marchiam esse institutam. Non quod ante Sorabos ibi non habitaverint Germani (omnino enim ante eos ibi sedes atque domicilia sua habuere Svedi) sed quia post Germanos in eas terras Sorabi, Slavorum, qui in Germaniam magnam migraverunt, portio, longe lateque penetrarunt, atque adeo non aborigines, sed advenae illie locorum fuerunt. *Vid. Manl. comment. rer. Lusat. lib. 1. col. 13. 14.* Linguae Teutonicae usum primus in eam regionem dixisse memoratur Albertus Vrsus, apud Manlium lib. 4. col. 53.

(d) *Iidem Milzeni, qui alias Milciani appellantur, a quibus nomen sortita est Marchia Milzavia (Niltienia) quae et Budisfinensis dicitur, ac Sveo, quem vulgo Spream vocant, rigatur, serius Lusatiae titulo ornata, quod vel solum diploma incorporationis Caroli IV. testari satis potest. De Luticiis existimat Albertus Cranzius, Lusatos eo nomine antiquitus esse denotatos, lib. 5. Sax. cap. 1. Nec dubitat Pencerus ipsis attribuere Lusatiam inferiorem. Conf. Henr. Meibomius de pagis Saxoniae in pag. Luzici. Quamquam ex Helmoldo liquet, illos esse eosdem cum VVilzicis, et sane multo amplius patuisse. Vid. Manlius Comment. lib. 1. col. 15.*

§. VI. Sunt, qui putent, partem Slesiae fuisse, cuius sententiae est Albertus Cranzius, (e) quod multis ac solidis argumentis atque rationibus licet refutare; quandoquidem a finibus Silesiae secernitur Qviffo, Bobera et Niffo amnibus. Idque ut pro certo habeatur, plurima faciunt monumenta, quae in hac quaestione finium regundorum mihi adiumento atque usui fuerunt.

(e) *In praefat. Saxon. Quae causa fuit, cur affirmaverit Christ. Manlius, Cranzius vulgi sermonibus deceptum, opinionem eam animo imbibisse. Errore forsitan inde orto, quod pars Lusatiae fuit sub Henrico barbato Silesiae Duce, quae postea iure pignoris ad Ascanio-Brandenburgicos, hinc ad Bobemos pervenit. V. Manlius comment. lib. 3.*

§. VII. Fuitque haec praecipua semper Lusatorum cura, ut quanto possent opere, limitem tuerentur, atque ea de causa nomen durissimae gentis fortirentur. (f) *Quod illustri Abbatis Oybinensis documento proditum est, qui Vladislao coenobium Oybinense Bohemiae vindicaturus, acerri-*  
me

me in comitiis Olomucensibus contradixit, ac vicit eius sententia, quod persequitur Christoph. Manlius, et cumulate satisfacit argumentis, ex charta manuscripta depromptis. (g)

(f) *Cosmas Pragensis Ecclesiae Decanus in Chronico Bobemorum ex bibliotheca Marquardi Freberi praelo VVeichel. expresso, pag. 11.*

(g) *lib. 7. comment. p. 144. Haud vero ommittendum est, dynastiam Rudsetia prius in patrimonio maiorum Dedonia fuisse, quam fuit Marchia Budissinensis, quippe quae praefecturam duntaxat a regibus atque imperatoribus institutam designabat, priusquam utraque vero et perpetuo iure coniungeretur. Neque existimandum est, cum Rudsetiis detracta est Lusatia superior, omnes simul eius partes detractas esse: saltem enim illi relictae sunt possessiones atque dynastiae Rotenburg, Moskau, Hoyerswerda, Camencium.*

§. VIII. Sed, ut vices rerum humanarum sunt, fines Lusatae non semper iidem fuerunt, neque fortuna semper isti populo indulgit, sive aemulatione vicinorum, sive ingenio gentis, quae externa arbitria non facile passura erat. Propterea Domus Luxemburgica, quae augendae suae potentiae rationes optime callebat, titulo connubii atque belli (h) regno Bohemiae potita, utramque Lusatiam, quae antiquitus ad Marchiones Misniae pertinerat, honestis conditionibus obtinuit, et fide servandorum privilegiorum data, novis atque felicibus auspiciis coniunxit. Ita factum, ut Lusati inde a Iohanne Bohemiae rege usque ad imperatorem Sigismundum, in quo ea stirps defecit, Regibus Boiemo-Luxemburgicis sacramentum dicerent, et obsequia cum tranquillitate coniuncta servarent.

(h) 1. Est titulus electionis, quippe quae regnum Bohemiae pariter, atque accessiones eius concernit, postquam extincta est familia veterum Bohemiae Ducum atque regum Czecciorum, qui per annos DLXXXIII, summam rerum ibi tenuerunt: 2. beneficiariae concessionis regni Bohemiae, quod Germaniae feudale est, cui Lusatia, Marchionibus Misniae olim intercepta, sub illud tempus eodem iure annectebatur: 3. Connubii inter Iohannem Luxemburgicum, et Elisabetham regni Bohemiae haeredem, contracti: quandoquidem eius soror natu maior propter Ducem Carinthiae, in regni Bohemiae iura iniquum, cui illa nupsit, a regno est exclusa. 4. Belli, quod titulum inter omnes gentes validum habet, quo illis adeo ab Elisabetha regni haerede et regni Ordinibus, veris atque vivis eius membris, pro parte saltem electionem habentibus, ac demum ab Imperatore, tanquam supremo illius regni beneficiarii domino acquisitum, et ad Iohannem delatum, et investitura Henrici VII. imperatoris solenniter firmatum, atque contra aemulum hostemque Henricum Carinthiae Ducem est defensum. Vid. Martinus Borek Chron. Bohem. part. 1. p. 247. 289. VVeenceslaus Hagecius Chron. Bohem. part.

part. 1. p. 376. 377. 378. 379. 380. 395. *Eo spectant tabulae, quibus Iohannes Luzelburgicus Marchiam et provinciam Budissinensem et Gorlicensem (quarum antiqui in Lusatiam superiorem iuris testem Friderico gravi, qui recusato Iudithae, Iohannis filiae connubio, et postea regnante Carolo IV. domus suae commodum neglexerat, armis eripuit) sibi tanquam immediato et naturali domino subditam ordinavit, et leges constituit atque confirmavit. Huc respexit Carolus Iohannis filius, quando promulgavit diploma incorporationis, in quo comprobatur, Marchiam Budissinensem et Gorlicensem ab antiquo ad coronam et regnum Bohemiae pertinuisse: apud Melch. Goldastum append. document. pag. 75. Quae verba usitatum Caroli IV. stylum signant, et in diplomate Gerlaci Archiepiscopi Moguntinensis eodem anno (1355.) dato repetuntur, et paulo explicantur atque confirmantur. Hic tantum venit in quaestionem, quid vocabulis ab antiquo (ibidem per dudum declaratur, aliquando etiam omittitur,) denotetur: et unde initium eius iuris sit numerandum, ratione cuius postliminium in Marchia Budissinensi et Gorlicensi allegatur. Mibi certis argumentis constat, non posse illud intervallum porrigi ultra tempora Henrici IV. Siqui, quippe ante quem non fuerit in Bohemia reges, et ipso etiam Cosma Pragensi teste, anno 1086. Vratislaus ex Duce Boiobemiae rex ab Henrico IV. est creatus, etsi nondum eo tempore haereditarius eius dignitatis titulus coepit, ac certe Vratislai frater, liberi, nepotesque usque ad Vladulaum II. id est, ab anno 1086. usque 1159. Duces dicti fuerunt. Conf. cum Cosma Hagecius an. 1086. Nunc quam lato pateat postliminii intervallum, inter Marchiones Brandenburgo-Ascanios, et Reges Boiemo-Luzelburgicos, a quibus contemplatione Boiemo-Czechiorum asseritur postliminium, breviter est videndum. Sane epocha regis tituli a Vratislao, saltem pro eius persona intellecti, perpetui autem, atque haereditarii a Vladislao II. numeratur. Dabo itaque vocabula, ab antiquo, ample sumenda, et ad Vratislaum, primum regii tituli acquirentem, esse referenda: non tamen ex eo sequetur, primos Lusatae acquirentes fuisse Czechios, propterea quod rationes intervalli, quo hi Marchiam Budissinensem concessione Henrici IV. acquisitam tenuerunt, non plures, quam ducentos annos consiciunt, facta quidem temporum ab anno 1086. usque ad 1286. supputatione. Marchia Gorlicensis, quae regionis superioris, postea Lusatae quoque dictae pars est, Friderico gravi erepta, paulo post ad Bohemiam accessit. Regio inferior, quae suo et proprio nomine Lusatia appellatur, neque Czechios Duces, neque reges dominos habuit, donec Friderico adorsio intercepta, ex patrimonio VVettinensi in ditionem Brandenburgo-Ascaniam, atque exinde in potestatem regum Boiemo-Luzelburgicorum, qui aborigines Czechios interiecto duntaxat Henrico Carinthio, in eo regno exceperant, et per Iohannem Bohemiae regem primo superiorem, deinde inferiorem Lusatiam ex inauguratione beneficiaria Ludovici IV. Imp. cognomento Bavari ac-*

quisiverunt. Esi enim a patre Henrico VII. in veram atque legitimam beneficiariam regni Bohemiae possessionem inauguratus fuerat, tamen Lusatiam obrinuit deum ab excessu patris, et ritu atque lege beneficiaria accepit primum a Ludovico IV. imperatore, eam filio Ludovico, qui Romani cognomine distinguitur, attributuro, et perinde ac septemviratum Brandenburgicum, in patrimonium suae gentis addituro, si tuto licuisset per Luzelburgicos, qui in ea causa intercedebant, et propter Bohemiam familiae suae acquisitam ius postliminii ratione Marchiae Budissinensis allegabant, ac postulatis suis efficiebant, ut Ludovicus non perinde cum Marchia Lusatiae atque cum Marchia Brandenburgica ageret. Quod cur non aequè hic, ac ibi factum fuerit, neque Ludovicus Bavarus atque Lusatiam, atque Marchiam Brandenburgicam vindicaverit, quam tamen extincto VValdemaro, ex familia Ascanio-Brandenburgica ultimo, iure caduci vindicare potuisset, haud dubie causa fuit metus, cum propter fundatam ex propinquo Luzelburgicam potentiam, tum propter praetensum postliminii ius, quod a vacante etiam dominis ac haeredibus Marchia Budissinensi, Iohannes Bohemiae rex assererat. Sane quam est manifestum, ac diplomate in eam rem edito probari potest, Marchiam Budissinensem a Ludovico Bavarò in Iohannem ritu iureque beneficiaria collatam esse. Similiter veris auctoribus constat, Budissinenses anno 1319. et Gorlicenses anno 1329. in verba Iohannis Bohemiae regis iurasse, apud Iohannem Abbatem in chro. an. 1319. Mart. Boregk part. 1. pag. 299. Christoph. Manlium comment. lib. 6. col. 79. VVenceslaum Hagecium chron. Bohem. part. 1. p. 395. conf. Casp. Peucer, idyll. an. 1319. 1320. Anonymi chronicon Marchionum utriusque Lusatiae in periodo regum Bohemiae stirpis Luzemburgicae: Melchior Goldastus de regno Bohem. lib. 3. cap. 16. n. 37. Martinus Mylius tradit, Ludovicum Bavarum eo quoque ex promisso fuisse obligatum, propterea quod is Iohanni propter auctoramentum navandae sibi operae ac dandi suffragii septemviralis pollicitus fuisset luculentam honorum VValdemari partem, si, quod eventus approbavit, nulla prole auctus decederet, in annal. Gorlicens. script. pag. 128. Pari fato Lusatia inferior, quam Valdemarus Friderico admorsò Misniae Marchioni ademerat, eo an. 1319. sine liberis mortuo, Iohanni Bohemiae regi accessit, non postliminio, ut placet Mantio, comment. lib. 4. col. 63. siquidem ea nunquam ducum regumque Bohemiae provincia fuit, et postquam ad Ascanio-Brandenburgios pervenit, ius in eam si cessione in Valdemarum, Ascanio-Brandenburgicae gentis ultimum collatum est atque confirmatum. Vnde factum arbitror, quod Lusatia inferior, quamlibet a Iohanne acquisita et regno Bohemiae adiuncta, haud perinde, ac Lusatia superior, nominata fuerit, in instrumento incorporationis Carolino anno post natum Christum MCCCCLV. indiè octava, VII. Ad Octob. edito. Nec est facile, quem lateat, Lusatiam inferiorem, utut saepe etiam mutarit dominos suos, nullum tamen ex Ducibus atque regibus Bohemiae dominum habuisse, quod per subiecta exempla ac peri-

odos, quibus ibi suum quoque principatum nomine atque titulo Marchionis tenuit, nunc a me posset demonstrari I. periodus memoratur stirpis Ringelheimensis in Siffredo, alius Sigefrido. II. Comitum Stadenſium in Gereone, Christiano, al. Carſerio. Detmaro I. Detmaro II. ac Ottone liberorum experti. III. Budſetiorum Dedonis, Henrici ſenioris, et Henrici poſtumi, ſive iunioris. IV. ex familia Danica Viperti et Henrici eius filii. V. Comitum VVettinenſium, poſtea Miſniae atque Luſatiae Marchionum, Conradi I. Diterici, Dedonis II. Conradi II. Diterici II. quam ſucceſſionem paulo interruperunt Sileſiae Duces, (Vid. Ioach. Curaeus annal. Sileſ. p. 264. Chriſtoph. Manlius Comment. lib. 3. p. 46. ſeq.) Boleslaus Henrici barbari filius, et Boleslaus cognomine ſaeuus: inde poſtliminio Marchiones Miſniae, Henricus illuſtris, conſeſſu atque beneficio Friderici II. Imp. primus in ea familia Landgravius Thuringiae ac Saxoniae Palatinus, et quod ex diplomatibus manuſcriptis didici celebriſ in Saxonia Commendae Domitzenſis conditor, Ditericus pinguis, Ditzmannus, ac denique Fridericus admorſus, cui Valdemarus inferiorem Luſatiam in univerſum ademit. VI. Aſcanio-Brandenburgicorum, Ottonis Pii, qui bello Miſnico, cum Alberto degeneri, atque filiis eius geſto, inſignem inferioris Luſatiae partem, et a Boleslao ſaeuo quoque eiusdem haud ignobilem orientalem portionem eſt conſecutus, Ottonis longi, Hermanni, Iohannis illuſtris et Valdemari huius propaginis, quae ex Alberto Vrſo per Ottonem deſcendit, ultimi, qui demum anno 1371. omnem quod in Luſatia inferiori Miſnienſibus reliquum fuerat, iisdem bello eripuit, ceſſionemque illius provinciae Friderico admorſo extorſit. Vid. Manlius comment lib. 4. et 5. Chronicon Marchionum utriusque Luſatiae ſupra allegatum. Vnde intelligitur, Iohannem Luzelburgicum ex alia cauſa acquiſiſſe Luſatiam inferiorem, atque acquiſiſerat Luſatiam ſuperiorem, et, quod certis liquet monumentis, eam non propter Bohemiam, neque adeo poſtliminio eſſe acquiſitam. Qua de cauſa factum eſt, ut longe poſt Iohannem Luzelburgicum, ex regibus Bohemiae primum acquirentem Luſatiae inferioris, VVenceslaus eius ex Carolo nepos, quatuor huius Provinciae Ordinibus ſingulari privilegio caveret de incolis nunquam a corona regni Bohemiae quovis modo avellendis atque alienandis. (Vid. Manlius l. 7. rer. Luſ. p. 102. Non ideo, quaſi Luſatia inferior olim, et ante Iohannem ad Bohemiae regnum pertinuiſſet (nam ſi hoc pertinuiſſet, eodem poſtliminii titulo in instrumento incorporationis aequae, ac Marchia Budiſinienſis et Gorlicenſis incluſa fuiſſet) ſed quia duntaxat primo, et ſine mentione interioris atque civilis cum Bohemia nexus ab avo ipſius acquiſita, tunc demum pari et aequo incorporationis Bohemicae iure conſeſſatur. Alioqui certo cognitum eſt, poſtliminium quoque ratione Luſatiae ſuperioris contineri certo, quod paulo ante deſinivimus, intervallo, ſiquidem multo ante reges Bohemiae Luſatiam ſubegerunt Saxones, poſtque hos tenuere Marchiones Miſniae quibus eam primum anno 1086. praeripuit Henricus IV. Saliquus et Bohemis, ad quos



neque stirpis, neque successionis iure pertinuit, attribuit. Manlius lib. 2. comment. p. 21. inprimis autem Budissinae infidiati sunt Poloni, quam Boleslaus Chrobrius ab excessu Eckhardi I. Marchionis Misniae expugnavit, Manlius itidem p. 29. Chron. Marchionum utriusque Lusatiae in Boleslao Chrobri, quae vox arcis notione venit. *Quod quomodo factum sit, non mirabitur, qui considerat turbatum eius temporis statum, quo Henricus IV. gessit imperium, afflictum certe ac perpetuis dissidiis agitatum. Eam vero occasionem adepti Bohemi, ipsam etiam Misniae Marchiam saepe sunt aggressi, ac impetu eo facto, multa detrimenta ei regioni intulerunt, quod Pirna atque aliae Bohemis finitimae urbes plus satis testantur.*

§. IX. Caeterum ex quo Lusatia cum regno Bohemiae coniuncta fuit, inventi sunt, qui putarent, pro ea parte, qua audit inferior, in regis Bohemiae, in quantum Septemviri, patrimonio deputatam fuisse. Qui error unde ortus sit, varia equidem opinio est: mihi sufficit demonstrare, reges Bohemiae diu ante dignitatem eligendi Caesares habuisse, quam consequerentur inferiorem Lusatiam, quippe quae accessit quidem regno, postquam mutavit suos dominos, sed pars Bohemici *Electo*ratus nunquam facta est, et provincia duntaxat Bohemiae evasit, ac ex alia causa atque diversis ab *Electo*ratu rationibus acquisita, et regno attributa sane atque adiuncta, *electo*rati autem, qui nullam divisionem recipit, minime innexa fuit. (i)

(i) *Regnum Bohemiae accurata notione distingvi ab Electo*ratu debet, avelli autem autem ab eo, constituto *Electo*rum ordine, non potest. Quod autem neque Lusatia inferior, quae hic cum primis in quaestionem venit, neque superior *Electo*rati Bohemico illigata sit, vel ex eo ostenditur, quod regnante in Bohemis Ottogaro II. ius *Electo*ratus Bohemici acquisitum et Filio eius Venceslao tabulis Rudolphini A. M CC XC. ratione Bohemiae confirmatum fuerit, quo tempore Lusatia inferior erat in ditione Marchionum Misnensium, superior autem parebat Marchionibus Brandenburgicis stirpis Ascaniae. Postea vero, quam utraque Lusatia in Iohanne Luzelburgico regno Bohemiae accessit, nil in ea re est immutatum: quandoquidem omnes eius in eo regno successores non aliter *electo*ratus Bohemiae munus gesserunt unquam et administrarunt, quam ratione regni Bohemiae, quippe ratione cuius archipincernatus, et deinceps quartus *electo*ratus institutus est atque confirmatus. Quapropter sanxit Rudolphus I. Habsburgius, ipsum regem Bohemiae imperii debere pincernam existere, et ius ac officium pincernatus apud eum, nec non eius haeredes iure haereditario residere. Extitit etiam dilucide declaratum, praedictum regem Bohemiae, et suos haeredes in electione regis Romanorum, futuri imperatoris, cum caeteris *electo*ribus habere, ad similitudinem aliorum, eligendi plenarium ius et vocem, in diplomate a. 1290.

VVen-

Venceslao regi Bohemiae Erfurti dato, atque ab Hagecio in sermanem Germanicum converso, Chron. part. 1. an. eod. Neque eo scilicet constitutum est in sanctione pragmatica Caroli IV. de electoribus tit. 4. ubi regi Bohemiae, in quantum regi, suffragium electorale confirmatur. Nec moramur auctoritatem speculi Saxonicus, regi Bohemiae electionem detrahentis, l. 3. c. 57. cum quo consensit Abbas Stadenensis, aetate illi, quae conscriptum est speculum, suppar, an. 1240. Nam multae sunt eius speculi commemorationes, quae neque antiquitatis monumentis, neque diplomatum fide approbantur. Neque hic operae pretium est circumspicere commo- dam speculi interpretationem, quando constat, et demonstrari potest exemplis, multa in eo commentitia atque falsa contineri. Quamquam sunt, qui ex Matthia Hupfuff, cuius liber titulo Râys. und Königl. Land- und Lehen-Rechte anno 1503. divulgatus est, consicere posse se existimant, praedictum speculi caput non intelligi de omni rege Bohemiae, sed duntaxat de eo, qui neque per patrem, neque per matrem originis Teutonicae fuisset. Abbas Stadenensis in ea parte Epkonem Repkovium, speculi illius compilatorem haud dubie secutus, commentum illud fide eius auctoris, cuius aequalis erat, et forsan in compilando socius adiutorque, ad se perlatum propagavit, scriptor caetera in rebus aliisque quae in Friderici II. tempora inciderunt, eximius, atque ad eruendam septemviratus Germanici originem, et ad istius aevi, quo vixit, facta eventaque singularia cognoscenda aptus cumprimis idoneusque.

§. X. Sed ex quo utraque Lusatia in regnum Bohemiae ditione fuit, hoc consecuta est ex pacto unionis atque foedere, (k) quod regibus iisdem cum vicinis Principibus fuit, ut ea coniunctio et magno ipsi usui, et praesidio esset. Non quia putemus, Bohemiae septemviratui fuisse innexam, quod reiecit paulo ante, sed quo intelligatur, eius ad regnum Bohemiae accessione, communem utriusque defensionis causam, et pari aequoque iure tutos fines fuisse. Quem fructum tantum abest ut amiserit, postquam in ditionis Saxonicae fines descripta est, ut quoque firmum ac perpetuum hodieque capiat, reddita antiquis Dominis, et in eum statum evecta ac postliminio adducta, ut et legibus atque institutis sanctissimis floreat, et rebus fortunisque suis pacifice fruatur, ingeniaque liberalia ac decora excitet quotidie atque ornet, et literas pariter atque optimum cultum aequissimo Principis imperio benigne foveat atque tueatur.

(k) Res paulo a primordio est repetenda Reges Bohemiae, iidemque veri Germaniae Electores foedere Electorum, quod primum anno M CCCC XXXIIX. Francofurti ad Moenum initum, deinde anno M CCCC XLVI. ibidem repetitum atque confirmatum, \* et postea annis Gelmbusii ac Vormatiae Vangionum redin-

Iii 3

tegra-

\* Hoc nominatur in unione Electorali Vormatiae 1521. corroborata, apud Goldast. Reichshandl. part. 8. ad d. an. Prius autem, quod aliunde constat, iis verbis non nega-

tegratum, ac novissima sanctione Caesarea Leopoldina iterum stabilitum atque perpetuo conservatum fuit, non sunt comprehensi. Non ut de iure electoratus Bobemici detrahatur, sed ob causam longe diversam, quae turbata post Sigismundi mortem ac divisa in partes Bohemia, non patiebatur, ut caeteri Electores in re optima moras necerent, et foedus atque unionem fraternam eoque differrent, donec inter Bohemiae Ordines, atque Albertum II, Sigismundi iam defuncti generum, atque in eo regno successorem \*\* ab omni parte convenisset. Ac sane ex commentariis ari illius, et rebus eventisque liquet, foedus illud non ad faciendam deteriore regis Bohemiae conditionem coaluisse, tum quod ad eius societatem quoque invitati sunt alii inferiores Ordines, tum quod Albertus II. summo studio coleretur ab Electoribus, et propter Bohemiam atque Austriam, in quibus arx et propugnaculum salutis Germanicae esset, Augusto Romanorum imperio, quod ab anno 1308. usque ad 1437. a domino Austriaca abfuerat, quasi postluminio persfrueretur, et in ea stirpe divinitus praevisa dignitas ad nostram aetatem continuaretur. Quamobrem reges Bohemiae sarcire hoc aggressi, quod superiorum calamitate temporum neglectum fuerat, pe-

negatur esse factum. Cuius quantum sit vigor, docet capitulatio Leopold. §. 6. ubi et unio Electorum generalis, et specialis, quae Rhenana audit, sacramento Caesareo confirmatur. Quin et bello hoc sociali pro iustitia armorum cum Palatinis contra Gallos sociatorum unio generalis, die *Churfürstl. Vereinigung* semel iterumque publice est allegata.

\*\* Electores Saxoniae ex pacto, quod indicat pax Pragensis §. 23. Anno clj Ibc XXXV. die trigesimo Maii inito, et Gorlicii post promulgato, firmo perpetuoque iure retinendam utramque Lusatiam consecuti sunt, non quidem ut esset accessio Saxonici electoratus, quippe qui diu ante perfectus atque completus fuit, et sanctione publica quoque ius individuum accepit, sed separata ex causa, et titulo satisfactorum impensarum in bellum Bohemicum factarum, quae tales ac tantae erant, ut non pretio dato, aut numerata pecunia, sed cessione earum provinciarum, quae Misniae Marchiones, nondum electoratu ausi, antiquitus possederant, ac titulum postluminii nondum plane obliti fuerant, rependerentur. In quam rem digna est, ut legatur transactio inter Caesarem Ferdinandum II. Domumque Austriam, atque inter Electorem Saxoniae facta, ac monumentis commendata, *Titel, Erblicher Tradition-Recess*. Vbi cum IOHANNES GEORGIUS I. nominatur primus acqvirens utriusque Lusatiae, comparate id ac eo quidem sensu est intelligendum, ut Lusatia, postquam a Marchionibus Misniae abalienata, penes exteras familias fuit, non quidem primo in universum, sed primo saltem post dictas externorum acqvirentium mutationes per IOHANNEM GEORGIUM I. veteri stirpi, in qua utriusque Lusatiae dominium continuari debuit, acqvista esse intelligatur. Enimvero certis atque incorruptis tabulis probari potest, utramque Lusatiam, quae diverso post tempore Misniae Marchionibus subtracta est, ad eodem vero atque indubitato iure pertinuisse. Quod non significant modo, sed etiam declarant diplomata Coenobii Dobrilugensis, in quibus et duae hae Marchiae vocabulis certis atque significantibus ab se distinguuntur, et praescripto eorum titulo, sub unius imperio civili atque legitimo dominio coniunctae memorantur.

*Etione cum vicinis Electoribus facta, commodam securitatis regni et provinciarum extra regnum acquisitarum rationem atque viam iniverunt, ac societate perpetuae unionis sibi adiunxerunt Electores Moguntinum, cum quo nuper renovata instaurataque est, \*\*\* Saxonem, quam redintegravit \*\*\* Mauritius, nec non Palatinum, Brandenburgicum, quorum haec est conjunctio atque nexus, ut regno Bohemiae de certo auxilio contra hostes ferendo tenentur. Quod pari ratione ad Lusatiam, cum illigata esset Bohemiae, pertinebat, neque nunc cessat, cum est Saxonicae ditionis, propterea quod mutua ea sit obligatio, et commune utriusque commodum ac salutem tueatur. Praeter huius pacti religionem utrosque vicinos etiam vinculum beneficiarium, quo ratione Lusatae colligantur, monet atque hortatur ad communem hanc operis mutuo ferendae causam.*

\*\*\* Henricus Breverus hist. decennal. lib. 3. p. 182. De ceteris conf. Gold. de regno Bohem. lib. 6. cap. 13. et 18.

\*\*\* Huius mentio fit in traditionis recessu 1635. 30. Maii Pragae facta, et Gorlicii promulgata. A Mauricii excessu ea unio inter Ferdinandum et Augustum denuo confirmata est an. 1557. 13. April.

§. II. Ac ea etiam prioribus retro temporibus non secus, atque ipsa Bohemia, cuius longo tempore accessio fuit, Saxonico iure et institutis consentientibus usata est, ac diu summum tribunal Magdeburgi, ubi olim ius Saxonicum externis quoque regnis ac provinciis reddebatur, habuit: (1) deinde quum regnante in Bohemia Ferdinando I. Magdeburgi, cum poena proscriptionis multaretur, institutus est Pragae Senatus provocationum, qui ultimo pronunciaret de causis controversis, neque iis tantum, quae in Bohemia disceptabantur, sed quoque decideret ac statueret de rebus, quae in Lusatae foro iudicatae essent. Postea vero, quam Lusatia ad Domum Saxoniam rediit sic ei consultum est atque provisum, ut ius provocandi ad *Electorem* Saxonem habeat, et sub eius principatu imperioque dignitatem antiquitus institutam teneat, quod a nullo tribunali externo, neque ipso Spirensi Augusto in ius vocari possit.

(1) *Viechbildum*, sive ius Magdeburgicum, cuius nomen auctoritasque adeo apud multos valuit, ut eius origo atque scriptura Ottonibus Magno atque Ruffo eius filio acceptae referrentur, sed quod ex genere descriptionis resellat facile, qui et actorum, et diplomatum Ottonianorum sit gnarus, atque expendat recte, quae sint, quae in argumentum eius fabulae assumuntur: recte nihilominus ibi traditum est, art. X. usum iuris Saxonici et fuisse quondam apud Lusatos, et mansisse usque ad aetatem Ferdinandi I. regis Bohemiae atque utriusque Lusatae Marchionis. Quod quemadmodum factum sit, diligenter explicatum est, a Nicolao Henkelo, eruasio Silesi-

lesiographiae auctore, cap. 8. p. 102. Nam uno eodemque tempore, Silesia, de qua commentatur Henelius, et Lusatia, quae mihi memoratur, ius Magdeburgicum usurpare desierunt, siquidem hoc praeceperat atque edixerat Ferdinandus I. ut in posterum provocantes ius peterent a supremo tribunali Pragensi, ac desisterent superiori consuetudine, atque iudicio ab se in Bohemia, cui tunc Lusatia annexa erat, instituto uterentur. Ex qua re magnum detrimentum cepit Magdeburgum, et eo statu, quo a Carolo V. proscriptum erat, hanc quoque ad superiores calamitates accessionem sensit, quod nunc omnes atque singulae Venedorum regiones suum atque proprium provocationum tribunal haberent, et temporibus aliis sibi luculosis, et confuso plane perturbatoque urbis statu, sciret atque intelligeret Ferdinandus I. idem sibi licere, quod olim licuisset regi Poloniae Casimiro, de quo est apud Mart. Cromerum rer. Polon. lib. 26. lib. 12. pag. 606. edit. Pistor. unde repetit Salomon Neugebauer, lib. 3. hist. Polon. p. 205. ed. Hanov. p. 205. Quod documentum sit, Saxones omnes fere Venedorum provincias Poloniam, Bohemiam, Livoniam, Prussiam, Pomeraniam, Silesiam, Lusatiam aut cultu atque Legibus, aut commerciorum consuetudine mitigasse, ac linguae Teutonicae usum longe lateque inter eas amplificasse, quod de Lusatia certis liquet argumentis, quippe quam Albertus Ursus et legibus, et nitore sermonis patrii ornavit, ac deletis cicliisque VVendis, multo cultiorum effecit atque elegantiorum. VVendi enim, post Suevos, antiquissimos Germaniae populos, qui harum terrarum olim fuisse aborigines, in oras eas subierunt, et linguam una suae gentis attulerunt, Marlius lib. 4. comment. fol. 53. Fuitque insequentem tempore tantum odium in VVendos, ut hi neque pro ingenis haberentur, et civili natalium dignitate privarentur. Goldast. de Reg. Boh. lib. 4. cap. 13. n. 5.

§. XII. Sub Austriis, quatenus moderatio viguit, diu tranquilla fuit ac florens, postea ad Saxonem honorificis conditionibus transit, quam dissidia, quae ad publicam perniciem spectabant, composuisset, et auctoritate apud Ferdinandum II. interposita, iura atque privilegia religionis, propter quae summa rerum Bohemicarum turbata fuerat, provido futuri animo conservasset, et quod eius meritis datum est, dignitatem fortunisque salvas ab Caesare pactus fuisset. Ab eo tempore Saxo has provincias iure hypothecae sibi obnoxias accepit, ex iisque emolumenta tantisper habuit, dum titulo perpetui ac sempiterni domini sub lege beneficiaria a Caesare tanquam rege Bohemiae attributas anno, quem supra nominavi XXXV, consequeretur, et pacatas in officio atque fide retineret, (m) ut qui sciret, quantis impendiis eae provinciae sibi constarent, quantumque potentiae suae in vicino illo limite praesidium esset.

(m) Tabulae super iure beneficiario Lusatae, anno 1653. Gorlicii promulgatae, sacramenti beneficiarii atque subiectionis formulam continent, iuxta quam

eo prorsus modo atque ratione tenentur Electoribus Saxoniae, quae olim tenebantur regibus Bohemiae, tanquam Lusatae Marchionibus, quod cessione regum Bohemiae, ac singulari transactione cum regibus Bohemiae, tanquam Marchionibus Lusatae inita, acquisiverunt, et libertatem religionemque exemplo Vladislai, Ferdinandi, Maximiliani, Rudolphi, tutati sunt. *Ve Ludovico Camerario in Considerat. causar. bell. p. m. 196. non fuerit causa, quamobrem in ea parte coargueret Saxonem, vir alioqui nimius animi, et in Austriam Saxoniamque domum tanto iniquior, quod suis consiliis, quae nil medium relinquebant inter praecipua et summa, utraque adversabatur, et coniunctis viribus resistebat. Etenim officii sui ducebat Elector, scissa factionibus Bohemia, et republica per dissensiones distracta, iustae Caesaris causae servare, et immoto animo stare contra seculi mala, ac prohibere ruinam vicinae domus cum vicinae, tum obligationis suae causa. Imperiti sunt, qui nibilo secius temere pronunciarunt, ac nil sociali Electoris bello quaesitum opinati sunt, quam belli stipendium Lusatiam, quod contendit P. Piascius, hist. sui temp. an. 1620. Multo enim interiores eius rei rationes fuerunt, et tales quidem ac tantae, ut Caesaris Electorisque periculum tunc par, et causa communis esset. Neque moramur intempestive credulos, et actorum consiliorumque illius temporis ignaros. Omnino autem laudamus Electorem, et gratulamur Lusatae, quae ductu huius Principis ad decus suum veramque gloriam rediit, et postquam accepit dominum, tanta caritate ac fide complexa est, ut senserit, honesto obsequio perpetuam clementiam repensam esse. Nam et sancte cavet dignitati Ordinum, et servat privilegia civitatum, et ius fasque exempli suo tuetur. Illud etiam memorabile est, quod sapientissimus Elector cum caeteras Lusatae immunitates prolixae ac liberaliter concessas confirmaret, tum privilegium a Rege Ferdinando I. an. 1544. die 21. Febr. Pragae superioris Lusatae Ordinibus, genere illustri nobilique praeditis impertitum Titulo Borvith. sanctione beneficiaria novissima roboravit. Quod cuiusmodi sit, facile intelligamus, si veras propriasque eius notas afferamus, et quamobrem concessum traditumque fuerit, ante oculos ponamus. Inest in eo testimonium rerum ab Ordinibus bene fortiterque gestarum, et gerendarum eadem fide in posterum insigne auctoramentum. Sed quid id consequi studet, capax esse debet beneficii, quod petit, ne fraudi sit auctori atque conditori privilegii, aut qui in eius locum successerit, tanquam Lusatae Marchio ac Princeps. Praeterea qui nulla prole auctus, atque adeo haeredum beneficiariorum expertus, hoc tale beneficium sollicitat, is praeterquam quod orbitatem suae domus, grave familiis malum, allegat, etiam necesse habet, aetatis suae viriumque specimen dare, quod haud dubie eo spectat, ut clientelae beneficiique dominus, cum expeditionibus servitibusque sibi et patriae utilibus decorisque adhibere possit. Idque ut rite atque ex privilegii praescriptio fiat, ille, qui studet beneficii esse particeps, cogit*

gitur toto corpore loricatedus atque gladio accinctus vi sua inferre se in aequum, et grave pondus armorum militaris firmo atque expedito robore superare. Si tamen foret, qui liberis, quibuscum rem familiarem faciat, aequae carens, ac inopia insuper laborans, fortunam iniquam, atque aes alienum, nulla sua culpa contractum coram praetore Marchionatus demonstraret, illi ius atque facultas eadem ex formula Privilegii futura esset agendi cum praedio beneficiario, quasi cum peculio suo, et libere alienandi vendendique, si quidem nullum inde praedictum ac detrimentum inferatur Domino beneficii, aut agnatis ius simul quaesitum a primo auctore beneficii derivantibus. Quis ritus unde sumptus sit, et quae ex re occasionem acceperit, hic posset disquiri, eo magis, quia in praeiudicis Saxonum placitis, quae diu apud Lusatos viguerunt, licet legere omnem acquirendae et conservandae nobilitatis rationem in gladio atque armis fuisse sitam: ut sane Dynastae atque Nobiles Lusati aptum hoc familiis suis consolandae orbitatis remedium a rege Ferdinando, impetraverint, cuius fructum nuper ceperunt illustrissimus MAXIMILIANVS LIB. BARO A SCHELLENDORFF, et eques suae gentis splendidissimus VVARENSDORFFIUS, qui virtute atque viribus freti, hoc privilegio in solatium orbitatis dato concessoque, fortunis atque facultatibus amplissimis, felicissimam accessionem laudis maximae adiunxerunt. Fuitque hoc Lusatae decus perpetuum fere atque invidendum, quod viros produxit egregios, qui bello atque literis permagnum ad rempublicam momentum attulerunt, et nacti crescendi spatium, res summas aggressi sunt atque perfecerunt. Quorum honori Christophorus Manlius singulare volumen composuit, dignum, ut opera viri eruditi quam primum elimetur, et cum eius commentariis rerum Lusaticarum, qui penes me sunt, in lucem emittatur. Nam et multa ibi reperi, quorum ignaro difficile sit, assequi res Boiobemicas, Saxonicas, Brandenburgicas atque Misnenses, et usu meo didici, praecipuam originum VVettinensium partem illic contineri. Quamquam non dissiteor, Boiobemos invidisse vicinis suis Lusatiam, et quandoque cum Ascanio-Brandenburgicis ad premendos Misniae Marchiones operam contulisse. Refertque ad hoc institutum evolvi Chronicon Marchicum VVolfgangi Iusti, unde quaedam decidenda sunt, quae Manlius noster dubia reliquit. Vid. Comment. lib. 5. fol. 79. Nobis sufficit, Lusatiam utramque hoc seculo rediisse a Bohemis ad priores acquirentes suos, Electores atque Duces Saxoniae, quatenus iidem sunt Misniae, et antiquitus pari iure erant Lusatae, et nunc de integro vere atque postliminio sunt eiusdem perpetui atque haereditarii Marchiones, quorum principatus imperiumque, felix et contra casum fortunamque firmum sit, atque in posteris integra innocentique virtute meo ac omnium civium meorum voto continetur.